

ritis. Fructus congruus opera bona : fructus congruus sincera dilectio, non solum fratris, sed et inimici. Supplicem nullum spernas, et cui dare non potes quod petierit, non cum spernas : si potes dare, da ; si non potes, affabilem te præsta. Coronat Deus intus voluntatem, ubi non invenit facultatem. Nemo dicat : Non habeo. Caritas non de sacculo erogatur : quia quidquid dicimus et quidquid diximus, et quidquid dicere potuerimus, vel nos, vel post nos, vel qui ante nos, finem non habent nisi charitatem : quia finis præcepti caritas est, de corde puro et conscientia bona, et fide non ficta¹. Interrogate, quando rogatis Deum, corda vestra ; videte quomodo transmittatis versum istum : « Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris². » Non eris orans, nisi istam³ dicas : si aliam dicas, non te exaudit ille ; quia non ipsam tibi dictavit Jurisperitus quem misit. Necesse est ergo, ut et quando verba nostra dicimus in oratione, secundum ipsam dicamus : et quando ipsa verba dicimus, bene intelligamus quod dicimus, quia manifestam illam esse Deus voluit. Si ergo non oraveritis, spem non habebitis : si aliter quam Magister docuit oraveritis, non exaudiemini : aut si in oratione mentiti fueritis, non impetrabitis. Ergo, et orandum et verum dicendum est, et sic orandum est, quomodo ille docuit. Velis nolis, quotidie dicturus es : « Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. » Vis securus dicere ? Fac quod dicis.

¹ 1 Tim. 1, 5. — ² Matth. vi, 12. — ³ *Subaudi* precem.

ENARRATIO II

IN EUMDEM PSALMUM CIII.

SERMO II.

De secunda parte Psalmi.

I. Scio quia debitores nos tenetis, non necessitate, sed quod est vehementius, charitate. Debemus autem hoc primo Domino Deo nostro, qui habitans et in vobis, exigit ista de nobis : deinde domno et patri, præsentis et jubentis et oranti pro me : deinde vestræ violentiæ, qua extorquetis etiam infirmis viribus nostris. Tamen quantum Dominus donat, qui et ipsas vires vobis orantibus donare dignetur, quoniam Psalmi hujus primas partes die jam nuper præcedente tractavimus, etiam sequentia suscipienda sunt, et illo adjuvante, in cujus nomine cœpimus, terminanda sunt. Commendaveramus autem Charitati Vestræ, qui affuistis, totum istum Psalmum figuratis mysteriis esse contextum. Unde quod difficiliter quæritur, solet dulcius inveniri. Nec putetis ista vobis obscuritate subtracta, sed difficultate condita : ad hoc, quod sæpe jam diximus, ut detur petentibus, inveniatur a quærentibus, intretur a pulsantibus¹. Sed opus est nobis aliquanto majore et silentio vestro, et patientia vestra, ut pauca quæ dicturi sumus, non per strepitum tempus amplius occupent. Pauca enim nos dicere temporis cogit an-

¹ Matth. vii, 7, 8.

gustia, quod novit et Caritas Vestra debere nos exequiis fidelis corporis solemne obsequium. Ecce jam quæ dicta sunt repetere, et rursus exponere non cogamur: si defuerunt aliqui, qui non audierunt, non deessent; prodest autem illis fortasse, quod non audiunt modo quod audierunt qui affuerunt, ut et ipsi discant adesse. Legamus ergo cursim.

II. « Benedic, anima mea, Dominum ¹. » Omnium nostrum anima dicat, una facta in Christo: « Domine Deus » meus, magnificatus es nimis. » Unde magnificatus es? « Confessionem et decorem induisti, » Confitemini, ut decoremini, ut induat vos. « Circumamictus lucem sicut » vestimentum ². » Circumamictus Ecclesiam suam: quia ipsa facta est lux in illo, quæ prius erat tenebræ in se, dicente Apostolo: « Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem » lux in Domino ³. Extendens cœlum sicut pellem: » vel tam facile quam tu pellem, si tam facile sit, tanquam ad litteram accipias: vel auctoritatem Scripturarum intelligamus distentam per totum mundum nomine pellis; quia mortalitas in pelle significatur; dispensata est autem nobis omnis auctoritas Scripturarum divinarum per homines mortales, quorum jam mortuorum fama distenditur.

III. « Qui protegit in aquis superiora ejus ⁴. » Cujus superiora? Cœli. Quid est cœlum? Figurate duntaxat diximus, Scripturam divinam. Quæ superiora Scripturæ divinæ? Præceptum, quo nihil est eminentius, charitatis. Quare autem aquis comparata est charitas? « Quia charitas » Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis ⁵. » Unde aqua ipse Spiritus? « Quia stabat Jesus, et clamabat: Si quis sitit, veniat ad

¹ Psal. ciii, 1. — ² Ibid. 2. — ³ Ephes. v, 8. — ⁴ Psal. ciii, 3. — ⁵ Rom. v, 5.

» me et bibat. Qui credit in me, flumina aquæ vivæ » fluent de ventre ejus. Unde probamus, quia de Spiritu dictum est? Dicat ipse Evangelista; qui sequitur, et ait: « Hoc autem dicebat de Spiritu, quem accepturi erant hi » qui in eum fuerant credituri ¹. Qui ambulat super pennas » ventorum: » id est, super virtutes animarum. Quæ est virtus animæ? Ipsa charitas. Quomodo autem ille super illam ambulat? Quia major est charitas Dei in nos, quam nostra in Deum.

IV. « Qui facit Angelos suos spiritus, et ministros suos » ignem flagrantem ²: » id est, eos qui jam spiritus sunt, qui spiritales, non carnales sunt, facit Angelos suos, mittendo ut prædicent ejus Evangelium. « Et ministros suos » ignem flagrantem. » Nisi enim ardeat minister prædicans, non accendit eum cui prædicat.

V. « Fundavit terram super firmamentum ejus ³. » Firmavit Ecclesiam super firmamentum Ecclesiæ. Quod est firmamentum Ecclesiæ, nisi fundamentum Ecclesiæ? Quod est fundamentum Ecclesiæ, nisi de quo dicit Apostolus: « Fundamentum nemo potest ponere præterquam quod » positum est, quod est Christus Jesus ⁴? » Et ideo tali fundamento suffulta, quid meruit audire? « Non inclinabitur » bitur in sæculum sæculi. Fundavit terram super firmitatem ejus, » id est, firmavit Ecclesiam super fundamentum Christum. Nutabit Ecclesia, si nutaverit fundamentum: sed unde nutabit Christus, qui antequam veniret ad nos, et carnem susciperet, « Omnia per ipsum facta » sunt, et sine ipso factum est nihil ⁵; » qui omnia continet majestate, et nos bonitate? Non nutante Christo, « Non inclinabitur in sæculum sæculi. » Ubi sunt qui dicunt perisse de mundo Ecclesiam, quando nec inclinari potest?

¹ Joan. vii, 37-39. — ² Psal. ciii, 4. — ³ Ibid. 5. — ⁴ I Cor. iii, 11. — ⁵ Joan. i, 3.

VI. Sed unde cœpit Dominus asserere istam Ecclesiam, revelare, incipere, ostendere, diffundere? Unde cœpit hoc? Quid erat primo? Quia « Fundavit terram super firmamentum ejus, non inclinabitur in sæculum sæculi. » Abyssus sicut vestimentum amictus ipsius¹. » Cujus? numquid forte Dei? Sed jam de amictu ejus dixerat: « Circum amictus lucem, velut vestimentum. » Audio Deum luce vestitum, et lux ipsa si volumus, nos sumus. Quid est, si volumus? Si jam tenebræ non sumus. Ergo si Deus luce vestitus est, cujus rursus vestimentum est abyssus? Abyssus enim dicitur immensa aquarum copia: omnis aqua, omnis humida natura, atque substantia circumquaque diffusa per maria, et flumina, et antra occulta, simul uno nomine abyssus vocatur. Ergo terram intelligimus, de qua dixit: « Fundavit terram super firmamentum ejus, non inclinabitur in sæculum sæculi: » de illa dictum credo: « Abyssus sicut vestimentum amictus ipsius. » Terræ enim quasi vestimentum est aqua, circumdans eam et contegens eam. Sed aliquando in diluvio ita crevit hæc vestis terræ, ut omnia omnino cooperiret, et transcenderet altissimos montes², sicut Scriptura testatur, cubitis ferme quindecim. Fortasse ipsum tempus significavit iste Psalmus, cum diceret: « Abyssus sicut vestimentum amictus ipsius. »

VII. « Super montes stabunt aquæ: » id est, vestimentum terræ, quod est abyssus, ita crevit, ut etiam super montes aquæ starent. Legimus hoc, ut dixi, factum in diluvio. Inde loquebatur Propheta? narrabat nobis præterita, an prænuntiabat futura? Sed si narraret præterita, non nobis diceret: « Super montes stabunt aquæ: » sed, Super montes steterunt aquæ. Præteritum enim tempus pro futuro solere poni in Scrip-

¹ Psal. ciii, 6. — ² Gen. vii, 20.

turis, ita prævidente Spiritu quæ ventura sunt, quasi jam facta sint, solemus legere. Inde est quod illud in alio Psalmo novimus omnes, ubi tanquam Evangelium recitatur: « Foderunt manus meas et pedes; dinumeraverunt omnia ossa mea; super vestimentum meum miserunt sortem¹. » Omnia quasi jam facta commemorantur, quæ utique adhuc ventura cernebantur. Sed quantum potest nostra diligentia? quantum autem potest tanta occupatio? aut quando sic vacat, ut possimus pro certo dicere, Ita est? Animadvertimus sæpe Prophetas præterito tempore verborum dicere quæ futura sunt: figura autem futuri dicere præterita, non facile occurrit legenti. Non audeo dicere, Non est: sed certe studiosis earum Litterarum indixerim quid quærant. Si invenerint, et ad nos attulerint, gratulabimur adolescentium studiis otiosorum occupati senes, et ex eorum ministerio et nos aliquid discemus. Non enim dedignamur; quando Christus de omnibus docet. Hoc ergo dicit: « Super montes stabunt aquæ, » Propheta curans futura prædicere, non narrare præterita, propterea dixit, quia Ecclesiam futuram in diluvio persecutionum volebat intelligi. Fuit enim tempus aliquando, quo terram Dei, Ecclesiam Dei cooperuerant aquæ persequentium; et ita cooperuerant, ut non apparerent nec ipsi magni, qui sunt montes. Quando enim ubique fugiebant, quomodo non minus apparebant? Et fortasse de illis aquis est vox illa, « Salvum me fac, Deus, » quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam². » Maximæ aquæ quæ mare faciunt, procellosæ, infructuosæ. Non enim quamcumque terram cooperuerit aqua marina, foecundabit eam potius quam ad sterilitatem perducet. Erant enim et montes sub aquis: quia super montes stabant aquæ: populi resistentes superaverant auctoritatem

¹ Psal. cxi, 17-19. — ² Id. lxxviii, 2.

omnium ubique fortiter evangelizantium verbum Dei, cooperuerant eos aquæ, et super illos stabant aquæ, dicebant: Preme, preme; et premebant: Extingue, non appareant. Dicebant ista, et prævalebant super Martyres, et fugiebant ubique Christiani, et fuga quadam occultabantur Apostoli. Unde fuga occultabantur Apostoli? Quia super montes stabant aquæ. Erat potestas aquarum magna, Sed quandiu? Audi quod sequitur.

VIII. « Ab increpatione tua fugient¹. » Et hoc factum est, fratres; ab increpatione Dei fugerunt aquæ: hoc est, a pressura montium recesserunt. Jam montes ipsi extant Petrus et Paulus: quomodo eminent? Qui ante a persecutoribus premebantur, nunc ab imperatoribus venerantur. Fugerunt enim aquæ ab increpatione Dei; quia cor regum in manu Dei, deflexit quo voluit², jussit per eos pacem dari Christianis, emicuit et eminuit auctoritas apostolica. Numquid et quando supra erant aquæ, montium defecerat magnitudo? Sed tamen, fratres mei, ut omnes viderent eminentiam montium, per quos montes salus esset generi humano, quia, « Levavi oculos meos in » montes, unde veniet auxilium mihi³: » ab increpatione Dei fugerunt aquæ. « A voce tonitrus tui formidabunt. » Jam quis non terreatur a voce Dei per Apostolos, a voce Dei per Scripturas, per nubes ejus? Conquievit mare, formidaverunt aquæ, nudati sunt montes, jussit imperator. Sed quis jussisset, nisi Deus tonuisset? Quia voluit Deus, illi jusserunt, et factum est. Ergo nullus sibi hominum arroget aliquid, formidaverunt aquæ, sed « A voce » tonitrus tui. » Nam ecce cum voluit Deus, fugerunt aquæ, ne premerent montes: antequam id fieret, et sub aquis firmi erant montes.

IX. « Ascendunt montes, et descendunt campi, in lo-

¹ Psal. ciii, 7. — ² Prov. xxi, 1. — ³ Psal. cxv, 1.

» cum quem fundasti eis⁴. » Adbuc de aquis loquitur. Non hic montes accipiamus, quasi terrenos; neque campos, quasi terrenos: sed fluctus tam magnos, ut montibus comparentur. Fluctuavit aliquando mare, et fluctus ejus tanquam montes fuerunt, qui montes illos Apostolos operirent. Sed quandiu « Ascendunt montes, et descendunt » campi? » Sævierunt, et placati sunt. Cum sæviebant, montes erant: cum placati sunt, campi facti sunt: fundavit enim eis locum. Est quidam meatus, quasi profundus locus, quo recepta sunt quodam modo omnia sævientia corda mortalium. Quam multi modo, et salsi, et amari sunt; et tamen quieti? Quam multi sunt, qui dulcescere nolunt? Qui sunt, qui dulcescere nolunt? Qui in Christum adhuc credere nolunt. Et quamvis multi sunt, qui nondum crediderunt, quid faciunt Ecclesiæ? Montes erant aliquando, modo campi sunt: tamen, fratres mei, et malacia mare est. Quare enim non sæviunt modo? quare non insaniunt? quare non dant operam? Si non possunt evertere terram nostram, certe contegere². Quare non? Audi: « Terminum posuisti, quem non transgredientur, » neque revertentur tegere terram³. »

X. Quid ergo quia jam fluctus amarissimi modum acceperunt, ut liceat nobis talia etiam libere prædicare, quia terminum acceperunt debitum, quia transgredi non possunt impositum finem, neque revertentur tegere terram; quid fit in ipsa terra? Quæ operationes ibi fiunt, quam jam mare nudavit? Etsi ad ejus oram tenues fluctus perstrepunt, etsi adhuc murmurant Pagani; sonitum fluminum audio, diluvium non perhorresco. Quid ergo, quid fit in terra? « Qui emittis fontes in convallibus. Emittis, inquit, » fontes in convallibus⁴. » Convalles nostis quid sint, depressa loca terrarum. Nam collibus et montibus con-

¹ Psal. ciii, 8. — ² *Supple* possunt. — ³ Psal. ciii, 9. — ⁴ Ibid. 10.

traria figura opponuntur valles vel convalles. Colles et montes, tumores terrarum sunt : valles autem vel convalles, humilitates terrarum. Noli contemnere humilitates ; inde fluunt fontes : « Emittis fontes in convallibus ; » Audi montem : dicit Apostolus : « Plus illis omnibus laboravi. » Magnitudo quædam commendatur : statim tamen , ut profluant aquæ , convallem se fecit : « Non ego autem , sed gratia Dei mecum¹. » Non repugnat ut qui sunt montes , sint et convalles : sicut enim montes dicuntur propter spiritalem magnitudinem , ita et convalles propter sui spiritus humilitatem. « Non ego , inquit , sed gratia Dei » mecum. » Non ego , convalis est ; et gratia Dei mecum , fons est. « Qui emittis fontes in convallibus. » De Spiritu dicebatur quod modo commemoravi , « Si quis sitit , veniat ad me , et bibat : qui credit in me , flumina aquæ » vivæ fluent de ventre ejus. Hoc autem dicebat de Spiritu , quem accepturi erant hi qui in eum fuerant credituri². » Videamus si convalles sunt , ut emittantur fontes in convallibus. Audi Prophetam : « Super quem requiescet » Spiritus meus , nisi super humilem et quietum et trementem verba mea³? » Quid est , « Super quem requiescet » Spiritus meus , super humilem et quietum ? » Quis habebit fontem meum ? Convallis.

XI. « Inter medium montium pertransibunt aquæ. » Huc usque a Lectore pronuntiatus est Psalmus , huc usque Charitati Vestræ sufficiat. Hoc dicemus , et in nomine Dei sermonem terminabimus. Quid est , « Inter medium » montium pertransibunt aquæ ? » Audivimus qui sint montes , magni prædicatores verbi , sublimes Angeli Dei ? quamvis adhuc in carne mortali : excelsi non sua virtute , sed illius gratia ; quantum autem ad ipsos attinet , convalles sunt , humiliter emittunt fontes : « Et inter medium mon-

¹ 1 Cor. xv, 10. — ² Joan. vii, 37-39. — ³ Isai. lxxvi, 2.

» tium , inquit , pertransibunt aquæ. » Putemus hoc ita dictum , Inter Apostolorum medium pertransibunt prædicationes verbi veritatis. Quid est , Inter medium Apostolorum ? Quod medium dicitur , commune est. Res communis , unde omnes æqualiter vivunt , media est , nec attinet ad me ; sed nec attinet ad te , nec ad me. Propterea loquimur et sic de aliquibus hominibus : Habent inter se pacem , habent inter se fidem , habent inter se charitatem : sic certe dicimus. Quid est , inter se ? In medio sui. Quid est , in medio sui ? Commune est illis. Audi aquas inter medium montium. Quia communis illis fides erat , nec quisque aquas quasi proprias et suas habebat. Si enim non sunt in medio , quasi privatæ sunt , non publice fluunt ; et ego habeo meam , et ille habet suam , non est in medio quod et ego et ipse habeat ; sed talis non est pacifica prædicatio. At vero ut inter medium montium fluant aquæ , audi vocem montis : « Deus , inquit , pacis , det vobis idipsum sapere » in invicem¹. » Et iterum , « Ut idipsum sapiatis omnes , et » non sint in vobis schismata². » Quod sentio , sentis ; in medio fluit aqua : non habeo quasi privatum meum : nec tu privatum tuum. Veritas nec mea sit propria , nec tua , ut et tua sit et mea : « Inter medium montium pertransibunt » aquæ. » Audi ipsum montem , ut dixi , quia « Inter » medium montium pertransibunt aquæ. Sive autem ego , » sive illi , sic prædicamus , et sic credidistis³. » Securus dixit , « Sive ego , sive illi , sic prædicamus , et sic credidistis : » inter medium enim montium fluebant aquæ ; nulla de aquis discordia montium , sed pax consensionis , et societas charitatis : si quis autem vellet aliud prædicare , jam de suo prædicaret , non de medio. Et audi quid de illo dicatur ab ipso qui emisit fontes in convallibus : « Qui

¹ Rom. xv, 5. — ² 1 Cor. i, 10. — ³ Id. xv, 11.